

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis D. Henricus Müller/ Theol. Prof. Ordinarius, Facultatis suae hodie Decanus, & ad. Div. Mariae Pastor Ad exequias, Quas ... Infantulo Henningo Ludovico Barclaio, Filolo desideratissimo Parentes moestissimi hodie paratum eunt Omnium Ordinum Cives Academicos sedulo serioq[ue] invitat : P. P. VII. Febr. Anno M DC LXIV. sub sigillo Rectoratus

Rostochi[i]: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746826265>

Druck Freier  Zugang





Müller, H.,


in H. L. Barclai.

R. 1664.

66







PROGRAMMA ^{80.}

^{Quo}
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
D. HENRICUS

Düssler /

Theol. Prof. Ordinarius, Facul-
tatis suæ hodie Decanus & ad Div.

Mariæ Pastor

Ad exequias,

Quas

Elegantissimo & mellitissimo

INFANTULO

HENNINGO LVDOVICO

BARCLAIO,

Filiolo desideratissimo

Parentes moestissimi hodie paratum eunt

Omnium Ordinum Cives Academicos

sedulo serioq; invitat.

P. P. VII. Febr. Anno M DC LXIV.

sub sigillo Rectoratus.



ROSTOCHI,

Typis JOHANNIS KILLI, Acad. Typogr.

CYPRIANUS L. IV.

De Mortalitate

Abraham DEO placuit, qui, ut DEO
placeret, nec amittere filium timuit, nec
gerere parricidium recusavit. Qui filium
non potes lege & sorte mortalitatis
amittere, quid faceres, si filium
jubereris occidere.



Rogatus Philosophorum princeps Aristoteles, *quid esset homo?* respondit concinne admodum; *est fortuna lusus & spolium temporis.* Habent pueri pupulas suas, quibuscum ludunt, Has jam vestibus ornant, jam exornatas denudant, nunc in altum extollunt, nunc in terram prosternunt, amplexantur modo, modo abs se abjiciunt: Hic puerorum lusus exprimit ad vivum hominis conditionem, qui hodie secundo vento navigat, cras tempestatibus agitur; hodie lætitia dissolvitur, cras mœrore confectus cum desperatione luctari incipit; hodie gloria coronatus incedit, cras honore omni exutus, illorum etiam exponitur oculis, qui mortalium omnium audiunt vilissimi. En quantus *fortuna lusus!* Nec commode minus *temporis* vocatur *spolium*, cuius vita fugit velut umbra, etiam cum apparet longa, quam si fugientem apprehendere volueris, nil inuenies vitæ nisi fugam. Unde non inepte à sapiente
▷ quodam

quodam *Homo bulla* dictus. Nam cum pluit, videbis subito bullas quasdam, seu ampullas aqueas insurgere, efferre sese & velut extollere caput suum, totus tamen ille tumor solidi nihil habet, solus sub illo tegmine fragili inanis latet aër; unde vix apparent istæ bullæ, cum subito evanescent, insurgunt aliæ & illico etiam rumpuntur, ac per momenta aliæ aliis succedunt. Quid inter homines vides aliud, quam successive hos nasci, interire illos, intumescere quosdam, & inflatos repente evanescere? Nimirum hæc vitæ nostræ fragilis conditio, *Quotidie morimur, quia quotidie demitur pars aliqua vitæ, & tunc quidem, cum crescimus, vitæ decrescit, infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, usq; ad hesternum quicquid transit temporis perit, & hunc, quem agimus diem, cum morte dividimus, & sicut clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit; sic ultima hora, qua desinimus esse, non sola mortem facit, sed sola consummat*, inquit Seneca Epist. XXIV. Ubi ponderanda quammaxime verba illa, *Ultima hora vitæ mortem consummat*, quasi dicat, quævis hora vitæ est hora mortis, quia in quavis hora vitæ amittimus ipsam, horam vitæ: nam ultima hora non adimit nobis nisi ultimam horam. Vivendo morimur & moriendo vivimus. *Sicut itinerantis gressus dum in anteriora proficit, quod restat iter, decrescit; sic vitæ nostræ quoad augmentum ducitur eò ut non sit & finitur*, ait Gregorius

gorius I, VIII Mor. 3. Intueamur hodiernum saltim,
elegantissimi infantuli HENNINGI LUDOVICI
BARCAII exemplum, quod vel solum de vitæ nostræ
fragilitate rerumq; humanarum inconstantia abunde
nos erudit: vix natus denatus ille est, Parentibus non
tam datus quam ostensus. Vix enim sextiduum à na-
tuitate supervixit, ubi continuo, veluti mundana om-
nia exosus, abire abs nobis, cæloq; unde venerat,
redonari cæpit. Natus ille est anni currentis d. 28.
Januarii Patre Nobilissimo & Præclarissimo Dn. M.
LUDOVICO BARCLAIO, Viro egregie docto &
pietati ex animo addicto, Matre sexus sui virtutibus
ornatissima scemina, ANNA ELISABETA *Heins*/
Avus paternus fuit Vir Nobilissimus & Spectatissi-
mus, Dn. PETRUS *Barchley* / Civis quondam apud
nos primarius, natione Scotus, experantiqua & illustri
BARONUM de *Barchley* familia oriundus, quam
ipsam familiam illustrarunt duo præprimis insignia
lumina, GUILIELMUS BARCLAUS, Lotharingiæ
Ducis Consiliarius & in Academia Pontinussana
J. U. Professor olim & Decanus, celebris librorum,
de Regno & regali potestate adversus Buchananum &
alios Monarchomachos, Parisiis Anno 1600. impres-
sorum editione, qui recusi sunt postea Hanoviæ Anno
1612. aucti tractatu de *potestate papæ in Reges & Princi-*
pes seculares tam directa, quam indirecta, quarum u-
tramque pernegatum strenue ivit, confutatis Cardi-
nalis


nalis Bellarmini ratiunculis examussim. Alter illustrium BARCLAJORUM, qui literarum monumentis famam extendere suam, fuit JOHANNES, lepidissima *Ephormionis L. satyra & Argenide*, ut scripta jam alia silentio involvam, præclarus. *Aviam* paternam habuit BEATULUS noster Matronam honestissimam, ANGELAM von Böhren. *Avus* maternus extitit Dn. HENRICUS HEINIUS, Amplissimi Jctorum Ordinis in hac Universitate Secretarius quondam meritissimus, & Professorum Ducalium Collegii Oeconomus fidelissimus. *Avia* materna MARGARETA Hagemesters / singularis exempli Matrona. Hi, quos recensuimus, sunt, quibus originem debet HENNINGUS LUDOVICUS BARCLAJUS. Parentes, quum nonnisi ea, quæ ipsi aliquando in lucem prodissent, conditione filium ex se genuisse scirent, i, e, peccati fordibus totum involutum, adeoq; extra gratiæ statum positum, ante omnia id dedere operam; ut sacra aqua tinctus à vitio, quo infectus erat totus, ablueretur, & Christo, veluti surculus viti, insitus divinæ per ipsius meritum gratiæ particeps fieret. Sumto sacramento d. 29. *Januar.* mox paralyfi correptus est, quæ d. 2. *Febr.* circa undecimam vespertinam, elegantissimum piæ animulæ palatiū destruxit, eheu! Morbo utut Medicamentis iretur obviam sedulo, prævaluit tamen is, mortemq; intulit infantulo, qui vix cæperat vitali vescier aura. Quin ob insperatum adeo &


& præmaturum obitum filioli mellitissimi in cordoli-
um coniecti sint haud leve Parentes optimi, nulli qui-
dem dubitamus. Ast recollendus tamen animus,
cogitandumq; DEO & naturæ consentiendum, hu-
mana sufferenda abs nobis omnia fortiter, inprimis
quæ non nostro, sed divino sunt relicta arbitrio. *Quod
dederat; abstulit qui creavit. Nihil abstulit tuum, qui
dignatus est recipere proprium. Creditum suum decuit re-
cipere creditorem, & nihil aliud decet, quam creditori suo
quandocunq; recipiat, gratias agere, mutuantem per-
appositè scribit Hieronymus ad Tyrast. Et certe
quare conturbemini adeo & conqueramini, Paren-
tes, causa vix vobis ulla, at vero non una, quare lu-
ctum ponatis, & vobis gratulemini tandem, si reco-
lueritis, filiolum vestrum non periisse, sed præivisse;
non denatum, sed renatum; desiisse agere cum vivis,
qui vere mortui, & associatum mortuis, qui vere vivi;
miseriarum hujus vitæ vix guttula adsperfum, quibus
vos nobiscum immersi toti, nunc immenso volupta-
tum cœlestium oceano refici, ubi nobis, qui cum tot
tantisve indies conflictamur malis, vix guttula frui
datur. Non invidetis VESTRO beatitudinem,
istam, quam vobis tot votis atq; desideriis expetitis.
Nos, quæ nostrarum partiū fuerint, minime neglige-
mus frequentesq; (si forte lenire vobis ea etiam res do-
lorem possit,) tenerrimo funeri hodie exequias ibi-
mus.*


mus. Vos, CIVES ACADEMICI, dabit operam,
ne quid officii desiderari in vobis possit; Est enim
id istiusmodi officium, quod vos cum primis decere
potest. Inter eundem cogitabit illud Sapiensis;
*Hoc affigamus animo, hoc nobis subinde dicamus: Mori-
endum est? Quando? quid tñā? mors natura lex est,
mors tributum officiumq, mortalium, malorumq, omnium
remedium est. Omnibus omisis, hoc unum meditare,
ne formides nomen mortis: effice illam tibi cogita-
tione multa familiarem, ut, si ita tulerit,
possis illi vel obviam exire.*


Convenietur hora I. in æde
Jacobæ.











& præmaturum obitum filioli me-
um conjecti sint haud leve Paren-
dem dubitamus. Ast recolligere
cogitandumq; DEO & naturæ
mana sufferenda abs nobis omni-
quæ non nostro, sed divino sunt
dederat; abstulit qui creavit. Nihil
dignatus est recipere proprium. Cre-
cipere creditorem, & nihil aliud dece-
quandocunq; recipiat, gratias agere
appositè scribit Hieronymus ad
quare conturbemini adeo & con-
tes, causa vix vobis ulla, at vero
ctum ponatis, & vobis gratulemi-
lueritis, filiolum vestrum non pe-
non denatum, sed renatum; desi-
qui vere mortui, & associatum mi-
miseriarum hujus vitæ vix guttula
vos nobiscum immersi toti, nunc
tum cœlestium oceano refici, ubi
tantisve indies conflictamur mal-
datur. Non invidetis VESTI
istam, quam vobis tot votis atq;
Nos, quæ nostrarum partiū fuerit
mus frequentesq; (si forte lenire ve-
lorem possit,) tenerrimo funeri

in cordoli-
, nulli qui-
n animus,
dum, hu-
, inprimis
trio. Quod
tum, qui
a decuit re-
creditori suo
tem per-
Et certe
ui, Paren-
quare lu-
, si reco-
præivisse;
cum vivis,
vere vivi;
n, quibus
volupta-
cum tot
ttula frui
udinem,
expetitis.
neglige-
m res do-
quias ibi-
mus.

